

De igne civitatem comburentem [a].

CAP. LII.

1/ Sub anno ^d Dominicæ incarnationis MCLV^a accensus est ignis in foro Faventia^e ci-
vitatⁱ in domo Iohannis Davioli, qui totam civitatem^a cum matrice Ecclesia combus-
sit; quæ quidem ecclesia tunc cooperta erat cannellis^e [A].

De comite Guidone et Ceparani destructione.

CAP. LIII.

2/ 3 4/ Post gloriosum Dei Genitricis partum anno MCLVII Guido Guerra Tuscia^e comes,
raptus de medio, volavit ad superos; cuius decessum cuncti fleverunt Italici, et præ
omnibus Faventini. Fugrat enim magnitudine sua omnium sub imperio principum pri-
mus, nobilitatis totius Italia^e speculum, moribus lucerna super candelabrum splendens.
Civitatem vero Faventia^e speciali dilexit amore, atque Faventinos, ut ex parte di-
ctum est supra, multis et maximis liberavit, more patris^a [b], angustias. Huic succes-
sit ejus filius Guido Guerra, similis quidem nomine [c], sed vita et moribus dissimi-
lis prorsus. Nam ab ipsis incunabulis [d] usque fere senectam, quasi juvenis, juve-
nilia gessit assidue. Similis præterea Rob^oam, in paucis secutus vestigia patris, cun-
ctis spectis sapientibus atque discretis, juvenum atque stultorum consilio duci et
regi minime piguit. Suis vero servis ejus domus, conculcatis nobilibus, dominium tra-
didit, quos quandoque [e] et sine causa, miserabiliter de magno gloriæ solio proster-
nere non dubitavit. Tandem comitatum auxit, prolem optimam, avo et proavo di-
gnam, habere meruit. Sub anno itaque Domini MCLXVII præfatus Comes, ut Faven-
tiam et alia circumstantia loca posset opprimere, Ceparanum^b [B] de consilio mar-
chionis de Montefetrato socii sui munire incepit, suos multos homines [f] ad tantum
montem et tam fortem habitandum congregari præcepit. Licet autem Faventini ob
sui patris merita ipsum diligerent quam plurimum, timore, ne locus [g] dictus ad
eorum perpetuum cresceret detrimentum, anno prædicto die xxv mensis septembris,
(25. Sept.) ipsum locum capere non formidarunt, domos cum Plebe et munitiones omnes in pla-
num prosternentes ex toto. Plebem tamen [h] restaurari postea pietatis permiserunt
intuitu.

[a] De igne civitatem comburentem. In C. M., pro civitatem, est civitate. — [b] more patris, Codd. M. et V. In C. A., in ore gladii est, pro more patris. — [c] similis quidem nomine. Sic lego cum C. A. et Cl. Mitt. In C. V., similiter quidem etc. — [d] ab ipsis incunabulis. In Codd., ab ipsis cunabulis. — [e] quos quandoque. Sic lego cum C. V. — [f] suos multos homines, Codd. M. et V. In C. A. suos milites et homines. — [g] timore, ne locus, C. V. et Cl. Mitt. In C. M., locus legi non potest. — [h] Plebem tamen, Codd. M. et V. In C. A., Plebem postea; nempe Ecclesiam.

[A] cooperta cannellis; vulgo cannelle; id est exiguis arundinibus, ac juncis. His enim, tunc tem-
poris, utebantur ad tegendas domos fere omnes Italiae urbes. Hinc summa incendiorum frequentia.

[B] Locus est ad meridiem Faventiae, septem abhinc milliariis. In charta ann. 970 (Q. 8703, Arch. Archiepisc. Ravenn.) dicitur *Castrum Cypriani*, in territorio Faventino.